



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 25. in bipedes asinos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)



PHILIPPICA XXV.

In bipedes Asinos.

DOMINICA PALMARUM.

*Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pul-
lum. Matth. 21. v. 5.*

S. I.
Cur Iesus
asino usus
in trium-
pho.



Vastio erudita est, cur in solenni triumpho suo Rex gloriae alio vehi jumento noluerit, quam asino. poterat elephantos ad-

hibere ut Pompejus, equos ut Julius, leones ut Tiberius; at asinum praelegit, qui sicut palatinus ejus fuit in stabulo, & gerulus in exilio, ita & effedum esse debuit in triumpho. volebat nimirum optimus Servator ultima primis correspondere, & aequalem nascens ac moriens genij sui servare tenorem. insinuat hanc rationem Sedulius:

Sedul. l. 4.
operis pa-
schal. c. 20.

aselli ungula non pretio magno, sed merito tanti fessoris claruit, sub fasce mobilior, non illius impar, qui modico Christum quamvis cerneret in praesepi, dominum esse agnovit. Alij Reges ab apparatu & pompa plausum populi captaverunt, nemo asinae insidens gloriam hominum meruit, praeter solum Iesum, qui cum Rex sit singularis, praeter aliorum morem triumphatorum, asina vectus laudibus super aethera meruit vehi. Rationem hanc suggerit

Cyrillus
Catech. 12.

D. Cyrillus: *nulli sunt reges, qualis IESUS, dat igitur nobis signum, quod alij reges non habeant. Solus Regum Iesus super pullo asini sedit, & solemniter cum benedictionibus tanquam Rex in Hierusalem ingressus est, haec Cyrillus. Venit Rex pacificus damnans bella & pacem mun-*

do indicens, ideoque pacifico animali usus est. audiamus Chryso-
stomum istius authorem rationis: *Domini ascendens Ierosolymam, magnam gratiam pacis & concordiae mundo universo, quasi in testamento relinquit: non sedet in curru aureo, pretiosam purpuram fulgens, neque ascendit super servidum equum discordiae amatorem & litis, qui de longè odorat bellum & gaudet ad vocem tubae, & cum viderit sanguineam pompam, dicit in corde suo: bene est factum. sed sedet super asinam tranquillitatis ac pacis amicam.* ex asino velut magistrali cathedra docet Magister divinus, quales esse debeant homines, ut asinis deteriores non sint, sed apti, quibus Iesus infideat & agat triumphum. habet enim verò asinus proprietates quasdam à natura congenitas, quas si virtutis amore ac studio in se homo exprimeret, nae is Servatori suo in jubulum solatiumque cederet, cum eoque immortales honores mereretur. Verum plerique mortales asinis omnibus deteriores, non comparari solummodo & assimilari jumentis insipientibus possunt, sed iisdem longè postponi. Contra quos dum acrius invehor, dicent non dubito mihi plurimi, quod Augustino quodam materiam eandem pertractanti dictum fuit, quibus idem profusus repono, quod Augustinus ita in ps. 33. locutus: *esto jumentum Domini, dicent mihi aliqui superbi & elati: ec-*

Chrysoft.
hom. 17. in
imperf.

ce

ce asinos nos fecit. sit asinus Domini, quicumque hoc dicit, nê sit equus, & mulus, quibus non est intellectus.

§. 2.
Asino de-
terioris
sunt, qui
crucis li-
gnum a-
verfant.

Privilegiatus in scripturis est Asinus atque ab immolatione cruenta eximius, ita definiente in gratiam & vitam asini legislatore Deo: *primogenitum asini mutabis ovæ* Ex. 13. v. 13. occidatur passer & turtur, occidatur bos, Agnus, hircus, at non occidatur asinus; sed eidem ovæ substituat: nê jumentum utilissimi usus & numerus in populo electo accidatur. nec in sacrificijs tantum, sed in prælijs pariter asinis parci Deus voluit, hinc cum equos hostium captos subnervari jussisset Josue. 11. v. 6. asinas tamen servari mandavit Num. 31. v. 28. cur verò in sacrificio redimi asinum Deus præceperit, rationes varias assignant interpretes, tum quòd Deus asellos à matre avelli noluerit, nê matrem affligeret, nullum enim animal ita amat proles suas, sicut asinus & simia, tum quòd eâ ratione Hebræos à cultu Priapi abstrahere intenderit, cui asinus immolabatur teste Ovidio Fast. 1. *Hellepontiaci victima grata Deo.* præplacet tamen ingeniosior Vincentij Belluacensis assertio, qui asinum idcirco à cæde eximium censet, quia auspiciam vitæ, *Crucem*, in dorso congenitam gestat: *quia crucem habet in anteriori dorsi parte super humeros*, nativâ cruce velut scuto vitali sese asinus tuetur adversus intempestivæ mortis insidias. servavit olim primogenitos Israël in Ægypto, adversus fatalem Angeli percutientis manû, signum crucis agnino sanguine postibus domorum illitum, ut docet D. Hieronymus in c. 66. Isai. de crucis signo agens: *hoc & postes domorum in Ægypto signabantur, quando pereunte Ægypto solus Israël mansit illæsus*, unde & consecutis postea temporibus littera Tau hoc crucis signum

Belluac. 1.
186. 10.

Ægyptijs auspiciam vitæ & absolutionis character fuit; servavit eadem littera tau frontibus viro- rum gementium à bono Angelo inscripta adversus vindicis justitiæ gladium, ut Ezech. 9. v. 6. videre est. servavit idem vivificæ Crucis signum asinos, nê ceterorum more jumentorum cruenta caderent victima. Discant ab asino stolidi homunciones signum crucis gestare ac conservare, ut vicissim crucis beneficio à morte & interitu vendicentur. Est hodie compluribus, non dico judæis & gentibus, sed Christi nomen & fidem professis crux scandalo, cujus videlicet publicum & crebrum execrantur usum, verum scandalo iisdem non foret crux, nisi pleni ipsi stultitiarum essent atque scandalorum, ideòque in malam crucem præscitæ victimæ. Manum S. Edmundi imanis dæmon tenuit, nê ad formandam crucem extendi posset, manum & animum etiam plurimis dæmon retinet, nê salutari signo muniantur. Gestant crucem in tiaris Pontifices, in diadematis Cæsares, in sceptris Reges, gestant crucem in frontibus suis electi omnes, & erubescant cruce se signare putridi quidam & asinis omnibus stolidiores mortales? nimirum hæc fraus dæmonis est, qui ut animos eorum & corpora tanquam possessor legitimus occupet, crucis signum ab iisdem quàm longissimè removet, in quo videlicet signo vincendum se & plusquam flabro muscam, aut flagro canem novit esse abigendum.

Narrat Vincentius hist. 1. 10. c. 29. S. Regulum Sylvanectensem Episcopum, à D. Clemente in Gallias missum, à Sylvanectensi matrona, cui Gallicæ nomen, ardentissimis precibus postulatum fuisse, unigenitum ejus à malo hospite, à quo nimirum quantum cruciabatur, libe-

§. 3.
Asinus s.
Reguli
crucem
pede for-
mat, nê à
dæmone
pollideat-
tur.

R3

rare

rare dignaretur. Recitavit S. Regulus super energumenum orationem Dominicam, ac symbolum Apostolicum, iisque precibus dæmonem, in vespertilionis forma exegit, at stygius hic vespertilio vindictæ avidus in asinum S. præfulis quo is labore itinerum fessus vehi solebat, ingressum molitur. Quid agat adversus infestum vespertilionem asellus? res mira, & nisi tantorum staret autoritate virorum penè incredibilis; signum crucis dextro pede in terra efformavit asinus, & quasi Deum adiutorem invocaret, erecto in coelos capite vehementissimè rudere cœpit, qua arte effugatus vespertilio est & magna infidelium pars Christo addicta, atque ad baptismi gratiam unà cum puero à quo dæmonem S. Regulus ejecerat, feliciter admissa. Utinam hujus asini mandibulâ novus aliquis Samson frontem omnium eorum signaret, qui crucis insignia efformare negligunt, ideòque in pabulum & possessionem pessimo genio cedunt. Dæmonem in lactucâ, quam cruce prius signare neglexerat, Sanctimonialis voravit, à quo cum per Equitium Abbatem liberanda esset, exclamavit mordax hospes: *ego quid feci? quid feci ego? sedebam super lactucam, venit illa & momordit me!* nescis quid vores, nisi cruce prius signes & ores, quam ori injicis offam & cupediam. Colonia puella annorum 16. cibum cruce non signans primo in morfu muscam ori illatam sensit, quam cum ejicere non valeret, deglutit, & quot fecerit musca unica muscas in afflictissimo, licet virgineo, corpore persensit. Religiosus Laicus ex sanctissima D. Dominici tunc superstitis familia dæmonem in vino hausit, quia hoc absque cruce prævia potare præsumpsit. Nimirum periculosè bibitur, si vitali signo

haustus non muniatur. dedecentius asino bibit, qui signo crucis destituitur, dum bibit; ut cib⁹ & potus conducatur sitq; saluti, Salvatoris benedicti nè negligat signum, in hoc enim signo edes, bibes, vives sanctè salubriterque.

Celebris in scripturis Asina Baalami est Num. 22. à v. 21. quæ viso Angelo evaginatam stringente gladium *concidit sub pedibus sedentis*, sive quòd sacro percelleretur horrore, & transitum aliudve effugium non videret; sive ut debitam Angelicæ celsitudini exhibendam reverentiam doceret. impatiens ad hæc fessor impius stimulis & verberibus urget bestiam, validòque fuisse latera quatit. rupit asinæ vocem indignatio movente linguam Angelo, ut sicut os serpentis ad loquelam dæmon moverat & sicut Angelus bonus os hippocentauri & satyri gubernarat ad viam in Eremo demonstrandam Antonio, quâ ad Paulum primum eremitam perveniret, ita asina, movente linguam Angelo loqui potuit, intolerandamque Baalam stoliditatem exprobrare. *Asina retardata Angelum videt*, inquit D. Gregorius, *quem Balaam necdum videbat, quia plerumque caro tarda per molestias flagello suo menti indicat Deum, quem ipsa carni præsidens non videbat.* vel quia præ asinis cæcutiunt homines ad viam voluntatis Divinæ observandam & legendam. Voce asinæ utitur Deus, ut brutus mens per brutum doceatur, vel quod Nyssenensis scripsit, ut erudiat & castigetur auguris vanitas, qui asinæ rudium & avium garrum quasi futurorum omina omnia observare solebat, quam verò insolitâ & articulatâ voce præferebat ex instinctu Numinis asina veritatem non attendebat. Itâ brutis magis brutescimus, cum veritatem excipere monemur. Denique casus asini

S. Greg. 1.
2. Dialog.
c. 4.

Nider. l. 5.
formicar.
c. 11.

Jacobus
Episcopus
Genuens.
in vita S.
Dominici.

§. 4.
Deteriores item
asinò sunt,
qui irreverenter
coram Euchari-
stia versantur.

S. Hieron.
in vita An-
tonij Ma-
gri.

S. Greg. 3.
part. Past.
admon. 13

Nyff. l. de
vita Moyf.
in fin.

asinæ irreverentiam multorum arguit, quam præferunt, cum in conspectu Angelorum psallunt, imò in tremenda Regis Angelorum sub velo Eucharisticarum specierum latitantis præsentia versantur.

S. 5.
Duplex
historia.

Decantatus est Bonovilli hæresiarchæ asinus, qui post triduanam inedia genua prius flexit corâ sacrosancta Eucharistia (quam manu tenebat Div⁹ Thaumaturgus Antonius) quàm ad pabulum accederet, ut jejuna hæresiarchæ confunderetur ratiocinatio, erudireturque rudis impostor de reali Deihominis sub speciebus Eucharisticis præsentia. Habeat asinum magistrum, qui habere non vult Antonium. Recentius est, quod non ab uno afello, sed à grege integro in honorem Venerabilis Sacramenti gestum est in villa Salzan Venetæ ditionis. Illuc Sacerdos Societatis nostræ ad ægrotum deferebat cœleste viaticum sinè pompa & comitatu; cum ecce afelli pabulantes relictis pascuis obviam sacerdoti occurrunt, quasi sensissent Numinis Eucharistici præsentiam, & ex utroque viæ latere discreti in genua repentè procumbunt. Attonitus rei novitate sacerdos medius perimites quadrupedes ambulabat, quæ præcedentem secutæ usque ad ædes ægroti sunt, ante quas consistere tamdiu, donec reversus ab ægro sacerdos ad pascua lætas cum benedictione dimitteret. Flexerunt genua asini, non flectunt mali Christiani, quibus tamen per

Philip. 2.
v. 10.

II. 45. v. 24.

& contremiscunt, illi nec credunt neque timent. Elephantos se exhibere malunt, quibus nulla in genibus curvatura, quàm asinos; at dum elephantos referunt, elephantiafin contrahunt, à quibus utinam asinorum sanguine (exemplo volo dicere) curentur. Pudor ingens Christiano nomini est, inveniri vel pauculos, qui tantam in templis exercent irreverentiam, qualem nec turcæ in moschæis, nec ethnici in fanis, nec dæmones ipsi unquam committere visi sunt. O si liceret cœlestibus sese immiscere cohortibus, facilè ab ijs disceremus, quo cultu cœli principes Dominum suum colant, quòve nos viles vermiculi, nos vasa putredinis, nos sacci stercoreum, nos sentina sordium, tremendum in templis suis Dominum colere debeamus. Vidit Joannes apertum Cœli ostium & sedem positam, cui Rex gloriæ insidebat. Cum ecce mox adfunt septem ardentès lampades, qui sunt septem spiritus Domini; quatuor animalia faciem leonis, bovis, aquilæ & hominis præferentia; viginti quatuor seniores coronis aureis redimiti; Angeli in circuitu & turba electorum innumera, quid agunt singuli? Seraphini continuo amore ardent, ideòque per septem ardentès lampades signantur. Cherubini siue animalia quatuor requiem non habent, sed sinè fine proclamant: sanctus, sanctus, sanctus. seniores seu potestates, dominationes, atque principatus coronas suas ante sedentem deponunt; Arch-Angeli & Angeli pròni sternuntur; universa turba acclamat. *salus Deo nostro & qui sedet super thronum.* Erubescite hic ignavia Christiana! idem Deus in nostris templis, qui in cœlis est: *Dominus in cœlo sedes ejus, Dominus in templo sancto suo,* cur ergo tam irreverenter oculos, os, verba in præsentia illi-

Apoc. 4.

ps. 10. v. 5.

illius jactas? si Seraphinus es, vide, ut in præsentia DEI tui cor animusque velut lampas succendatur. Si Cherubinus es & conscius tibi laborum pro Deo tolerantium, ut bovis referas speciem, vel fortitudine Christianam præditus, ut leonis exhibeas simulacrum, vel cœlestium contemplationi addictus, ut aquilæ imaginem referas, vel vitam homine dignam agas, ut revera sis, qui audis *homo*; nihilominus Deum tuum agnosce! in clama: sanctus, sanctus sanctus! si Princeps es, si Rex, si Imperator coronam tuam ante altaria sterne. Si angelus, in terrâ procumbe. si unus de populo DEI, salutem DEO & agno dicitote! procul garritus, procul cachinni, procul omnis petulantia; sicubi, hic certè, nunquam levis. *Dominus in celo, Dominus in templo.* at eheu qui colitur in cœlo, contemnitur in templo, pro pudor, proh vesania, proh impietas! Ignes illi seraphici libenter ad gloriam Dei uruntur, titiones inferni verò flammam salutis non admittunt, Cherubini pleni oculis suæque certi salutis oculos ante Deum levare non audent, vespertiones & noctuæ in omnem lucem suos audacissimè oculos jactant. Principes Gloriæ adsternuntur solo, mancipia fordidissima in altum surgere nituntur. Discite, mortales à cœlo, quid agendum in cœlo. sed quid ego in cœlum haud moratos nostros induco, in stabulum Bethleemiticum satius fuerit eosdem relegasse, ubi bos & asinus (Bonaventuræ sensum refero) in præsepio præsentem & recens natum Christum Dominum suum & nostrum peculiari cultu honorarunt, eidem se inclinando, fœno eum tegendo, halitu calefaciendo, aliisque modis serviverunt. *Agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me*

Bonav. 2.
pud Corn.
in Isc. 1.
pag. 50.
colum. 2.

Isa. 1. v. 3.

non cognovit. Discant ab asino non tantum Dominum, sed & præsepe Domini venerari ac scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est, adorare qui stolidiores omnibus asinis haberi nolunt.

In immensum, ut video, excurret oratio, si cæteras asinorum proprietates prosequi placeat, ut ex his ignavia hominum arguatur. at stringamus in compendium. Asino forti comparatur Issachar à morturo Jacob. Gen. 49. v. 15. *Issachar asinus fortis supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.* Comendatur in asino fortitudo & laborum tolerantia, ad quos asinus nascitur, nascitur & homo teste hominum patientissimo: *homo nascitur ad laborem.* at hic ipse labor divitias & decorem parit, vitamque homini præparat immortalem. *Issachar asinus fortis* in Chaldæo est: *Issachar dives in substantia,* quasi idem sit, fortem ac laboriosum, quod divitem in substantia esse; laboribus enim DEUS omnia (etiam semetipsum) vendit. septuaginta legunt: *Issachar pulchrum concupivit;* solus enim is jure concupiscere potest, quod pulchrum est, qui laboribus non parcat. Per Issachar Divus Ambrosius Christum intelligit, quia hic teste psalmografo *in laboribus à juventute sua enutritus est,* & Mater ejus mulier fortis panem otiosa non comedit; *factus est tributis serviens,* qui & Cæsari tributum exolvit, & Deo patri factus est obediens usque ad mortem. Audiamus, si placet, Ambrosium; *Issachar merces dicitur, & ideo refertur ad Christum, qui est merces nostra. ipse subjecit humerum suum ad laborandum, subjiciens se cruci, ut nostra peccata portaret.* Sit Issachar quisquis imitari Christum, & mercedem laboris ab eodem recipere desiderat. *Sicut Issachar, ita & vir bonus*

§. 6.
Asinorum
gnavitas,
inedia, cau-
tela confun-
dit pigros,
gulosos, te-
merarios.

Job. 5. v. 7.

pl. 87. v. 16.

bonus, inquit Chrysoftomus *serm.* 29. *in Matth. æterna præmia celestè- que quietem contemplatus, alacriter humerum suum labori subjicit, fit- que tributis serviens, dum operum bonorum tributa persolvit Deo.* Sit Issachar quisquis asino dete- rior videri erubescit. at nunquid torporis ac ignaviæ symbolum asi- nus est? torpeat asinus naturæ vitio, at verberum metu, aut pabuli ille- ctus illecebrâ naturam corrigit, ho- minemq; rubore meritò suffundit, qui nec virtutis amore, nec pœnæ formidine compelli semet patitur, ad onera & labores; quamvis nec in omnibus asinis ignaviam depre- henderis, ægyptij enim teste Scali- gero exercitat. 217. tam veloces sunt ut quotidie 40. milliaria currendo abfolvant, Saracorum asini teste Æ- liano l. 14. generosissimi, bellòque cum primis sunt idonei. Asinus leo- nem interimens Alexandro Macedo- ni vaticus imminentis augur fa- ti fuit, teste Alexandro ab Alex. l. 1. c. 13. Asinus lupum conficiens fat- tis supérque latentem in asini pe- ctore generositatem, aut potius magnanimæ fructum obedientiæ manifestavit in vita S. Solæ Abbatis; qui cum non procul Eystadio ad Monasterium Solenhoven perge- ret, observavit asellum, quo vefta- batur aures arrigere, hæere, hor- rere. Circumspicit Abbas quæ hor- roris causa esse possit, & videt fe- rocem lupum in vicinum ovium gregem irruptionem moliri. hic Ab- bas cruce se signans præcipit in- nomine Domini asello, lupum in- sectari & conficere. paret auritus servulus, & concito gradu lupum petit, miròque duello obluctan- tem tamdiu urget, dum demum calcibus conficiat. Ecce asinum lu- pi domitorem, & ut sic dicam, sa- gata Palladis alumnum, videamus & togata. Asinus ammonij, teste

Photio in vita Isidori, adeò scho- larum, & poëtices præsertim amans fuit, ut neglecto pabulo ad has di- sciplinas properarit. In oppido Pi- ctorienti asinus conscenso tribuna- li rudere & multorum judicum i- gnaviam explodere auditus est, a- pud Ammian, Marc. l. 27. c. 2.

Si tamen tardum plerumque animal asinus, at laboris inedia- que patientissimum est, nec nisi e- xiguus impensis victitat, puta folijs, paleis, salignis, perticis, carduis, & quæ ceteris animantibus venenum sunt, ferulis. Ad ferulas, ò gulo- nes! vos asinus vocat, quibus ut- poëta canit: *in solo vivendi causa palato est*, nec aër totus, mare to- tum, silvæ omnes explendæ gulæ sufficiunt. Una silva pluribus ele- phantis sufficit, inquit Seneca, ho- mo verò vix pascitur terrâ marique. Gula primum hominem in paradi- so perdidit, gulâ Deum hominem tentari & perverti posse Lucifer, censuit; gula eductum ex Ægypto populum in eremo occidit, *quia de- specto manna cibos carniū petiit, quos lautiores putavit*; gula muros Jerusalem destruxit. *Muros Ierusa- lem coquorum princeps Nabuzardan destruxit, quia virtutes animæ dum non restringuntur venter perdit.* Gu- la Balthasarem & universam Baby- lonem devastavit. Dan. 5. gula Phi- liphæos oppressit Jud. 16. gula pri- genitorum gloriâ Esau spoliavit; gu- la mundum in diebus Noë submer- sit. in diebus Noë edebant & bibe- bant Luc. 17. v. 27. gula Sodomitas incineravit: *hæc fuit iniquitas So- domæ sororis tuæ superbia, satura- tas panis, & abundantia.* apertè o- stenditur, quòd idcirco salutem perdidit, quia cum superbiæ vitio mensuram moderatæ refectiois excessit. hæc & plura D. Gregori- us l. 3. moral. c. 26. Romani gulones asellum ventre vivæ matris exci- sum

Juv. Sat. 11.

Num. 11.
S. Gregor.
citand. 4.
Reg. 20.Ezech. 16.
v. 49.

sum in delicijs habuere, utinam gulosorum omnium cibos cineribus asinorum conspergere possim (quæ admodum excineribus aurei vituli potum Hebræorum Moyfes consperfit) ut parsimoniam tenuitatemque victus vel ab asinis imbibant & addiscant. Invenio l. 3. Regum c. 13. fessorem asini prophetam Ado in poenam gulæ à leone occisum, nihil læso asino. nimirum leo illerugiens & quærens quem devoret, gulones abligurit, abstemijs parcit, vitæque præ asinis indignos ostendit qui asinam non assequuntur in ediam. at fortè de tempore non erit sermo hic de gula prolixior.

Non tantum inediae patiens sed & periculorum accuratissimus observator & cautissimus declinator asinus est, in quæ aliquando incidisse eundem contigit. Verberari potius & occidi asinus, quam ad glaciem vel foveam adduci se finet, ubi vitæ aliquando suæ periclitatus est. O incurij mortales! nos iisdem periculis toties capti, in eadem prolabimur; pericula amamus, ut pereamus; foveas fodimus, ut incidamus; stygias ultro quærimus undas. Justo Numinis iudicio factum est, ut mille Philisthæi à Samsonem non sagittâ, non hastâ, non gladio, sed mandibulâ asini sternerentur; cum enim invicti Ducis fortitudinem experti toties fuissent, periclitari nihilominus & Samsonici roboris & vitæ suæ voluere, digni mandibulâ illius jumentum trucidari, quod cautius præ homine pericula vitæ evitat. Et tu ô Samson cur ad asinarios redactus labores vicem asini in mola obire cogis? didicisses ab asino lubricam glaciem & meretriciam cavere foveam, asinum certè non ageres in mola.

§. 7.
Oculi studiendi
per aures,
exemplo
asini.

Denique ut aures Auditorum meorum fatigare aliquando desinam, ad asinam ultro aurem di-

tionem meam appendo. Nihil auribus charius delicatiusque asinus habet, his inscribit solemne illud: *Noli me tangere*. Cur longas asino aures & profundos oculos Natura providerit, causam assignat Aristoteles & Avicenna apud Gemian. l. 4. de similitud. c. 61. ut se contra corvos tueatur, quos infestissimos oculorum suorum hostes experitur. Non ita oculos asininos corvus, sicut oculos humanæ intelligentiæ dæmon impetit ac repugnantia lumini rationis illa esse objicit, quæ credere fidelis jubetur; contra hanc corvi infernalis vafritiem, objiciendæ aures sunt si sapimus, & quæ non capimus intellectu, committenda veracis fidelisque Dei, qui eadem revelavit, auctoritati: *Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntia verunt nobis* Ps. 43. v. 1. auribus fidei nos tueamur (fides enim ex auditu) ut invicti simus. Expectare pueros cum asino infra montem Moria fidelis Abraham jussit, ut sacrificium fidei ac charitatis DEO immolaret; *expectate hic cum asino* Gen. 22. v. 5. ita tentationibus corvinis dicamus, & cum asino expectare jubeamus, donec ascendamus in montem Domini & stemus in loco sancto ejus, ubi videbimus, quæ fideliter credidimus, & facie ad faciem intuebitur, quæ in ænigmate speculabamur, dicemusque ad Psalterem: *sicut audivimus, sic vidimus* ps. 47. v. 9. sicut audivimus in Ecclesia militante, sic in triumphante vidimus. Quod si aures fidei non observemus, oculos faciliè corvus infernalis eruet, cæcatisque in quosvis errores & præcipitia deturbabit, tueamur fidei aures, ut authorem fidei & consummatorem Iesum lucidis aliquando oculis intueamur, defendantur oculi auribus, nè cœcuetiamus in meridie neque rudissimis rudio-

rudiores jumentis atdiamus. Denique non erubescamus esse juxta votum Augustini, & exemplum regij Pfaltis *jumenta & asini Domini*, ut simus fideles Iesu crucigeri at-

que *Christophori*, cum eoque æternos in Ierusalem cœlesti adreamus & canamus triumphos.

PHILIPPICA XXVI.

In peccatores recidivos.

DOMINICA PASCHÆ,

Surrexit, non est hic. Marci 16. v. 6.

S. I.
Cur terræ
motus in
paschate.



Ogitabam equidem Philippicâ superfedere hodie, neque festivissimo hoc die, quæ Gregorius Nazianzen' dierum regē, Ignatius Martyr dierum omnium eminentissimum, Laurentius Justinianus diem præclarū, & celebrem, excelsiorē cunctis, sanctiorē universis, Gregorius Nyssenus festum universale, cui supra alios dies Dominus benedixit, faustissimis nominibus appellant, infestum aliquid dicere. sed requiem non indulgit apud Claraevallensis Bernardus, qui aculeo suo mentem, ac linguam pupugit, atque suam illam in peccatores recidivos philippicam, quam ipse hac eadem solennitate pro concione dixerat, repetere jussit, sermonem fore dictitans de tempore, si ad salutarem animorum motum fiat, & terræ motui hodie non correspondeat. quid enim? an non paschalis lætitia ab insolenti motu sumpsit exordium: *terræ motus factus est magnus!* cur concussio, tremor, & tumultus in paschate? *modò terræ motus magnus* (exclamat Chrysologus ser. 74.) *ò si tunc* (in paradiso cum ad vetiti pomi esum tentaretur Eva) *vel levis turbo ar-*

borem mortiferam dejecisset! ò si nebula fumus mulieris illius tenebrasset aspectum! - sed vitijs semper serviunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis; virtutibus verò austera & fortia sunt amica, si ergo austerrum aliquid hodie cum Bernardo dixerò, virtutibus Auditorum meorum favere censebor. Cessit paschalis terræ motus in occasionem, & argumentum festivitatis, ac lætitiæ, inquit Procopi', fortè & terror, quem incutiam, meus in lætitiæ cedet, argumentum. Age ergo Bernarde, quidquid jubes, suggere, ecce ego vox tua & tuba tua, referam fideliter, quæcunque svada tua mellea non sinè aculeo svaserit enuntianda.

Surrexit, non est hic. Quòd de Christo Evangelista dixit, de Christianis multis hodie dici potest, non tamen sicut de Christo dictum est; hic enim resurgens jam non moritur, illi verò cum Lazaro ad funus redeunt & sepulchrum. Surrexit hic, iste, ille peccator, & non est hic in telonio avaritiæ, in cæno luxuriæ, in pinnaculo superbiæ, in campo martio iracundiæ, in fime-to acediæ, in ceto seu ventre gulæ, in ossuario invidiæ, non est hic in popinis, in prostibulis, in medio so-

S. 2.
Inconstan-
tia multo-
rum tem-
pore pa-
schali.